

T14

Amores III, 15
Congedo

Metro:
 distico elegiaco

- 1 Quare novum vatem, tenerorum mater Amorum!
 Raditur hic elegis ultima meta meis;
 quos ego composui, Paeligni ruris alumnus –
 nec me deliciae dedecuerunt meae –
- 5 siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
 non modo militiae turbine factus eques.
 Mantua Vergilio, gaudet Verona Catullo;
 Paelignae dicar gloria gentis ego,
 quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
- 10 cum timuit socias anxia Roma manus.
 Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
 moenia, quae campi iugera pauca tenent:
 “Quae tantum” dicat, “potuistis ferre poetam,
 quantulacumque estis, vos ego magna voco”.
- 15 Culte puer puerique parens Amathusia culti.
 Aurea de campo vellite signa meo!
 Corniger increpuit thyrsos graviores Lyaeus:
 pulsanda est magnis area maior equis.
 Imbelles elegi, genialis Musa, valetis,
- 20 post mea mansurum fata superstes opus!